



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1400. usque ad annum 1415 - Unacum Dissertatione  
Præliminari Ad Historiam Sæculi XV.

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1767**

**VD18 90118286**

§. 150. Adventus Deputatorum Parisiensis Academiæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66281](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66281)

cessionis exemplar porrigeret. Attamen promissum suum indies procrastinans, hujus cunctationis beneficio multos ex Synodi Patribus in suas partes trahere, sibique conciliare nititur.

Saccul. XV.  
A.C. 1415.

### §. CXLIX.

#### *Formula III. ab Imperatore Pontifici oblata.*

Nec ultra quisquam Joanni cessionem *Vander* suadere audebat, omnes enim aspe- *Hardt tom. 2* ris objurgabat verbis, qui coram ipso hac *p. 238.* de re quicquam memorabant. Nihilominus Nationes tertiam concipiunt formulam, quam ipse met Imperator & non nulli a Concilio Deputati prævia trium Nationum approbatione Pontifici exhibent; hanc tamen ille, quod nimis clara nullisque conditionibus limitata esset, acceptare constanter recusat.

### §. CL.

#### *Adventus Deputatorum Academiæ Parisiensis.*

Interea, cum omnes Joannem ad Papa- *Hist. Uni-* tus sui cessionem inducere satagerent, *vers. Paris.* opportune Constantiam veniunt Parisien- *tom. V. p.* sis Academiæ Deputati, quorum princeps *275 276.* erat Joannes Gersonius ejusdem Univer- *Laborat.* *Hist. Cur.* sitatis *VI. præf.*

Sæcul. XV  
A.C. 1415.

sitatis Cancellarius, ac tunc temporis Galliarum Regis Legatus ad Synodum deputatus. Hunc comitabantur Joannes Dacherius, Jacobus Desparsius Facultatis medicæ Doctor, & Benedictus Gentianus, sancti Dionysii Monachus sua ætate doctrina atque eloquentia nemini secundus, qui & ipse creditur esse Anonymus ille Monachus Sandionysianus, qui nobis perquam exactam Caroli VI omniumque sub ejus regimine gestorum historiam reliquit. Hi igitur admittuntur ad alloquium Papæ atque Imperatoris, qui eos non vulgaribus honorum signis exceperunt, ac præclarissimis simul elogiis Parisiensem universitatem celebrarunt, illam præ ceteris omnibus Europæ Academiis commendantes, eo quod ad pacem Ecclesiæ reliquis Christiani Orbis statibus plus una ferventius cum Galliarum Rege laboraverit. Quibus Papa subjunxit, se etiam velle integra fide, libere tamen, unionem Ecclesiæ procurare, etiamsi suis ad summum Pontificatum juribus cedere oporteret, prout in pleno confessu fese ad id paratum jam declarasset. Deputati junctis viribus tantopere desideratum pacis negotium confecturi, Germanis atque Anglis accessu sere. Cum autem diversæ cessionum formulis a Joanne proculsæ haud probantur Concilio, tres illæ Nationes aliam termini-

Vander  
Hardt tom. 4  
p. 45. 46.  
tom. 2. p. 239  
241.  
Bourg. part.  
I. p. 307.

terminis claris, ac distinctis, nullaque æ- Sæcul. XV.  
quivocatione aut restrictione limitatam A.C. 1415.  
concinnabant. Displicuit illa summope-  
re Pontifici; verum res sibi erat cum Vi-  
ris flecti nesciis. Germani etiam, ut ei  
majorem adhuc incuterent timorem se-  
ptem propositiones Synodo porrigunt, in  
quibus affirmant, cessionis viam ex omni-  
bus certissimum esse pacis reddendæ me-  
dium, proin illam pure ac simpliciter  
amplectendam, formulamque communi-  
trium Nationum suffragio adornatam esse  
acceptandam; hoc si renuerit Pontifex,  
fore incursum peccati mortalis reatum,  
& a Synodo tanquam supremo Judice ad  
Papatus cessionem præcepti auctoritate  
esse cogendum; si vero pertinacius re-  
cusaret, ejus contumaciam brachio etiam  
sæculari in auxilium vocato, nomine u-  
niversalis Ecclesiæ coercendam. Hisce  
Joannes velut fulmine tactus temporis ce-  
dendum existimans, quæ ab eo per vim  
omnino exigi potuissent, animo saltem  
in speciem spontaneo peragere statuit.

### §. CLI.

#### *Cessionis formula a Joanne acceptata.*

Igitur Papa primo Martii die hora unde- *Vander*  
cima antemeridiana ad Congregatio- *Hardt tom. 4*  
nem hunc in finem in ejus Palatio indi- *p. 47.*  
ctam accedit, in ea Patriarcha Antio-

F. e 3 chenus